













10.

CONCIONVM DIEBVS SVPPLICATIONVM PVBLICARVM IVSSV ILLVSTRISSIMI MAGISTRATVS

AD
11. 12. 13. Martij institutis habendarum textus:

CVM BREVISSIMA EAQVE simplicißima tractationis diatyposi.

SVBIVNCTIS COLLECTARUM istis diebus pronunciandarum formulis.

SLESVIGÆ
EXCVDEBAT NICOLAVS VVEGENER.
1595.

Tremdermarsch.

AVGVST. PSALM. 50.

Multi cadere volunt cum Dauid, & nolunt surgere cum Dauid. Non ergo cadendi exemplum propositum est, sed si cecideris, resurgendi. Attende ne cadas: Non sit delectatio minorum, lapsus maiorum, sed sit casus maiorum, tremor minorum. Ad hoc propositum est, ad hoc scriptum est, ad hoc in Ecclesia sæpe lectum atq; cantatum. Audiant, qui non ceciderunt, ne cadant: audiant, qui ceciderunt, vt surgant.

CHRYSOST. IN ROMA. CAP. I.

Quòd si supplicio te dignum agnoscis quidem, verum propter longanimitatem Dei contemnis, atq; ideo, quod non confestim vindicta diuina procedit, confidenter peccando pergis: debebas, si iustus esses, ob idipsum angi magis & tremere. Neq; enim ideo vltio peccati tardatur, quòd omnino nulla, sed quod eo sit grauior futura, si correctus non fueris.



CONCIONIS
PRIMI DIEI

Pericope ex Ierem. V.

ABducite propagines populi: Quia non sunt Domini. Etenim præuaricando præuaricatur contra me, & domus Israel, & domus Iuda, ait Dominus. Negant Dominum, & dicunt: Non est ipse: Et non veniet super nos malum: Et gladium & famem non videbimus: Prophetæ loquuntur in ventum, & verbum Domini non in eis: ipsis talia eueniant.

Propterea sic dixit Dominus Deus exercituum: Eo quod locuti estis vos verbum istud, ecce ego facio verba mea in ore tuo, vt sit ignis, & populum hunc, vt sit lignum, vt deuoret eos. Ecce ô Domus Israel, ego adducam super vos gentem remotam, ait Dominus, gentem robustam, gentem antiquam, gentem linguæ tibi incognitæ, & idiomatis tibi incomperti: cuius pharetra est sepulchrum patens, comites vniuersi gigantes. Segetes tuas & panem tuum comedet: Filios tuos & filias tuas perdet: Oues tuas & boues tuos deuorabit: vitem tuam & ficum tuam absumet: vrbes munitionum tuarum, quibus confidis, depopulabit.

Et etiam in diebus ipsis, dixit Dominus, non faciam vobiscum consummationem. Et erit si dixeritis: Propter quid facit Dominus Deus noster nobis omnia hæc? Dices ad eos: Sicut dereliquistis vos me, & seruijstis Dijs alienis, in terra vestra: Sic seruietis alienis in terra non vestra.

In Explicationis exordio, commendetur initio laudabile propositum & pijßimum mandatum clementißimi magistratus nostri, annuas hasce supplicationum & rogationum publicarum ferias continuantis:

Deinde causæ recitentur præcipuæ, ob quas hoc fieri admodum sit vtile, admodum sit necesse.

Excitetur etiam in animis auditorum attentio & sancta deuotio, vt huic sapientißimo maximéq; necessario magistratus consilio singuli se obedienter accommodantes, omißis impedimentis & piè posthabitis rebus omnibus, quod agendum præcipitur, strenuè agant, & ad celebrationem harum feriarum seriam, pœnitentiam sinceram, & inuocationem ardentem se componant.

Textus propositi tractatio non incommodè tribus concludetur membris.

Primum.

Querela est iustißimi Dei de extrema corruptione populi Israelitici, qua fiat, vt eum hostibus miserè diripiendum obijciat.

Abducite, *inquit* propagines populi, *id est, permitto vobis populi, exteri, vt populum Iudaicum exilio & morte mulctetis,*

nec vestris conatibus hostilibus obsisto: Muros ascendite, vrbes capite, domos diripite, incolas abducite, me non prohibente.

Neq; id mirum. Habeo enim iustißimam permißionis meæ causam: Quia non sunt Domini. *Elegeram equidem hanc gentem in peculium mihi & regale sacerdotium, & illi paternam tutelam & benedictionem promiseram: Verum quia impietate sua á me deficit, non habeo eum amplius pro populo meo, nec, quod feci hactenus, paternè eum curabo. Etsi enim se meum esse gloriatur: reuera tamen non est nisi nominetenus, idq; propria sua culpa.*

Accommodet hoc ad auditores quisq; suos, & serio inculcetur, nolle Dominum nos pro suis agnoscere, nisi & ipse sit maneatq; noster, hoc est, nisi vera fide debitam ipsi obedientiam præstemns. Quod ni fiat auertet à nobis animum & tanquam alienos nos reputabit, abiicietq;.

Arrige aures turba hominum impijßima, & audi quid expectandum tibi sit: A Deo & Christo nomen habere exoptas, A Deo vero & Christo toto animo omniq; conatu te avertis.

Exaggeretur vehementißimè quam nihil de homine poßit dici atrocius, nihil tristius, quam non esse Domini, deseri à fonte omnis boni, & obijci hostibus crudelißimis.

Et quid vero causæ est huius durissimi pronunciati? Etenim præuaricando præuaricatur contra me, *hoc est, grauissimè peccatis suis atrocissimis me irritat & offendit.*

Hæc causa generalis est negati nobis patrocinij diuini, non quod ipse aut nolit, aut nequeat nobis porro benefacere, sed quia nos præuaricando contra ipsum præuaricamur, hoc est, & grauissimis & turpissimis & frequentissimis sceleribus ipsius manifestissimam voluntatem transgredimur illiq; è diametro nos opponimus, & sic nos illius tutelæ subtrahimus, eaq; nos indignos reddimus. Prô facinus.

Applicentur dicta Ieremiæ 25. Non audítis me, vt me ad iracundiam prouocetis in operibus manuum vestrarum. Et hoc ipso capite 5. Quia multæ sunt præuaricationes eorum, quomodo propitius esse potero? Et Esa. 59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis.

Qui vero sunt tam atrox qui facinus audent? Audi: Et domus Israel & domus Iuda, ait Dominus. *Non nominat gentes prophanas, sed populum Ecclesiæ nomen gerentem, habentem verissimum verissimi Dei verbum, multis beneficijs diuinis ornatum, multis miraculis, mul-*

lis,mul-

lis, multis liberationibus illustrem: obstupesco cogitans.

Et quidem totum illum populum huius fœditatis reum constituit, nec quenquam immunem eximit.

Ostendatur per omnes hominum gradus, ordines & status, & quidem intra Ecclesiæ terminos, etiam in nostrum seculum verißimè hoc quadrare.

Vnum vero inprimis idq; grauißimum scelus nominat: quod vt maximè ab omnibus contemnitur: ita maxime à Propheta exaggeratur: Contemptus nimirum verbi quod per fideles Dei ministros prædicatur. Negant Dominum: quando scilicet verbo eius non credunt, verum hoc repudiant. Et dicunt non est ipse: Non est hoc verbum, non est hæc vox, non est hæc voluntas Domini, quæ nobis annunciatur: Non est Deus noster, non est tam durus exactor, non est tam seuerus obseruator vitæ, non est tam rigidus censor morum nostrorum, vt malis tam horribilibus nos sit excepturus: Ideoq; non est quod tantopere metuamus pœnas quas Prophetæ diuinitus, vt aiunt, comminantur: Non veniet super nos malum de quo Stentorea voce clamitant: Non videbimus gladium quem toties occinunt, nec famem quam prædicunt, in ventum loquun-

tur Prophetæ, *mentiuntur, vana pro libitu suo decantant*: Non est verbum Domini in eis, *non habent oraculum diuinum de hoc negocio, sed nos suis figmentis perterrefaciunt*: ipsis talia eueniant, *id est, Quæ prædicunt mala nobis ventura, in ipsos Prophetas incidant.*

Vide quæso euidentißimam atq; adeo viuam seculi præsentis imaginem.

1. *Etiam hodie prævaricationum atrocißimarum nullus est finis, nullus numerus.*
2. *Contemnitur verbi ministerium.*
3. *Fides nulla habetur diuinis comminationibus.*
4. *Imo negatur Deus author huius verbi.*
5. *Non metuuntur sed ridentur & negantur pœnæ venturæ, imo iam iam imminentes, quin omnia tuta, omnia pacata, omnia in vado esse existimantur.*
6. *Infelicißima quæq; sanctis Dei ministris hominum saluti fideliter incumbentibus præfracti imprecantur.*

Explicetur fusius, prudenterq; ad singulos pro rei exigentia accommodetur, & quam sint ista omnia, vltra quam dici cogitarive potest horrenda, demonstretur.

Secundum Membrum.

Concio est de tantæ impietatis effectu. Sed quid, ais, fiet talibus verbi contemtoribus & mini-

ministerij subsannatoribus. Varias ijs varijs in locis scriptura pœnas proponit. Hoc loco comminatio partim generalis partim specialis se offert.

Vtriq; vt maior concilietur autoritas sic præfatur vates: Propterea sic dixit certeq; futurum conclusit potentissimus omnium rerum Dominus, & Deus exercituum fortissimus, ad cuius nutum omnes creaturæ adsunt, illiq; obedientissimè & promptissimè militant exequentes summi imperatoris decretum tum asserendis pijs, tum affligendis & exterminandis impijs. Detineantur aliquandiu auditores in horum verborum meditatione.

Comminatio Generalis sequitur: Eo quod locuti estis vos verbum istud: Quia, inquam, irridetis vos & vilipenditis verba legatorum meorum: Et quia, quia &c. vt supra: Ecce ego facio verba mea in ore tuo, vt sit ignis, & populum hunc, vt sit lignum, vt deuoret eos.

Duo significat Dominus. Alterum: Certissimè implendum quicquid verbo per ministros prædixerit, nec quicquam veritati & certitudini vocis suæ obsistere posse. Transibunt enim cælum & terra, iota autem de verbo Dei non peribit. Igne nullum inter Elementa efficacius est, cui verbum Dei comparatur, quod omnem humanam potentiam superet, & vel tandem in effectum destinatum penetret. Attende au-

ditor, quisquis es, obstinate, verbum quod à pastore tuo audis, non tantum non vanum erit aut irritum, sed & te veritate & certitudine sua tanquam flamma stipulam consumet, nil te iuuantibus omnibus sannis tuis quas in ipsum intendisti.

Alterum: Grauius damnari eos, qui verbum contempserunt, quam qui non habuerunt, Matth. 11. Væ tibi Corazin &c. Reprobis enim verbum in grauius cedit exitium, quia ob contemptum eius tristioribus pœnis obruuntur. Et sanè miserè conscientias damnatorum in æternum excruciabunt & torquebunt conciones sacræ, quas in hac vita auditas tam superciliosè spreuerunt.

Specialis comminatio bellicas inprimis calamitates prædicit: Quas vt magis ob oculos ponat, tribus modis rei grauitatem exaggerat. Primo, causæ efficientis mentione. Ecce ego inquit, adducam super vos, vide quæso à quo immittantur in genus humanum hostes: non veniunt fortuito, nec Diaboli tantum sæuitia, suove arbitrio: sed adductione, sed permißione, sed destinatione diuina: huc igitur in bellorum tumultibus & hostium excursionibus animi conuertendi.

Secundo, hostis venturi descriptione, quem vocat gentem remotam: magis autem abhorremus à longe remotioribus: tum quia illi minus

nus sunt misericordes, tum nostris moribus & consuetudine minimè assueti, gentem robustam: *Numero multam tum animi atq; corporis robore præstantem & sic præ reliquis gentibus celebrem*, gentem antiquam, *non nuper ortam, sed multis temporibus invictam ac inexpugnabilem, à multis annis imperium orbis tenentem, multisq; victorijs nobilitatam:* gentem linguæ tibi incognitæ, & idiomatis tibi incomperti: *quod ipsum etiam ad miseriæ magnitudinem facit. Siquidem tristißimum est sustinere Tyrannos cum quibus loqui non poßis, quos nullis precibus flectere poßis. Ibi enim multa nimis aspere fiunt à victoribus, quæ sermone mutuo declinari & mitigari aliquo saltem modo potuisse viderentur.* Cuius pharetra est sepulchrum patens. *Habet gens ea, quæ te invadet, sagittarios peritißimos, qui vel ad acum colliment: quorum sagittæ mortiferæ, occidentes omnes quos contingunt, vt tot sepulchra parata videantur, quot pharetras hostium conspexeris.* Comites vniuersi gigantes. *Non erit exercitus ex qualicunq; confusanea hominum colluuie collectus, sed constabit gigantibus, hoc est, militibus exquisitis, veteranis, exercitatis, inuictis, contra quos te tutari minime poßis.*

Tertio successuum felicium & crudelißimorum factorum hostilium enumeratione. Non enim

supera-

superabitur, non fugabitur, non domabitur à te, sed te superabit miserèque affliget hostis acerrimus. Segetes tuas & panem tuum comedet: *Fruges in agro stantes demetet atque in suum usum conuertet, panem hoc est cibum tuum, & quicquid in tuum victum hactenus reposueras, tibique reseruaras, praeripiet, te interim misero miserè esuriente, & fame intereunte:* Filios tuos & filias tuas perdet: *Nec tangetur vlla commiseratione, sed sine discrimine sexus & aetatis progeniem tuam gladio extirpabit, aliisque nefandis modis tractabit:* Oues tuas & boues tuos deuorabit: *pecora & armenta tua, quibus fouendis & educandis multum curae, multum operae, multum impensae tribuisti, inde victum & diuitias tibi tuisque paraturus, abiget, illisque pro suo arbitrio vtetur, adeo nihil in tactum relinquet:* Vitem tuam & ficum tuam absumet, *Vineas, hortos & ficulneam tuam cum fructibus omnibus vastabit: Vuae & ficus quae ad vtilitatem, quae ad iucunditatem, quae ad recreationem tuam natae videbantur ipsi magno tuo dolore cedent:* vrbes munitionum tuarum, quibus confidis, depopulabit, *hoc est, vrbes munitas tuas, quas capi non posse tibi persuaseras, vi capiet, diripiet, euertet.*

Habes pie lector sententiam Prophetae, tu interim

interim videbis, et inde commonefactiones hominibus tuæ fidei commißis maximè necessarias extruas, quales sunt ex multis paucæ.

Diuinitus immitti bella: Vnde sequitur apud Deum ne ijs infestemur instandum, & ab eodem liberationem ex ijs petendam.

Non esse fidendum viribus nostris, robori, & experientiæ bellicæ: facillimè enim adducere posse Deum hostem omnibus his superiorem, ex cuius manibus elabi nequeamus, quin ab eo conteramur.

Nullum hostem esse tam remotum, quin Deo vindictam de nobis sumente propinquus fieri poßit.

Commeatu & abundantia proventuum corporalium non superbiendum: cito enim ea auferri posse.

Benedictione divina bonisq; corporalibus non esse ad luxum, superbiam & libidines abutendum, ne eius modi impietatem pœnæ in textu enumeratæ sequantur.

Liberos honestè & piè educandos, ne in manus hostium deueniant, aut si Deo permittente, deueniant de salute tamen æterna spes certa sit.

Nullis præsidijs, nullis munitionibus, nullis arcibus, nullis oppidis munitis, & si quid est præterea hominum opinione constans, magnum

gnum & invictum, quicquam tribuendum, nisi Deum tutorem habeamus & imploremus. Nihil enim sunt præsidia humana, vbi abest protectio diuina: Nec quicquam muniunt hominem munitiones etiam munitißimæ, tutela tamen Domini non munitæ.

Exaggerentur singula & piè applicentur. Nec incommodè hoc loco impreßionum Turcicarum meminerimus, vt animi nostri vera pœnitentia & ardenti inuocatione contra grassatorem istum crudelißimum, & flagellum Dei præsentißimum sese arment. Licet enim procul à nobis abesse videatur: Ostendit tamen vates minari Deum adducturum se hostem remotum. Simus itaq; memores verißimi versiculi: Tum tua res agitur paries cum proximus ardet. Sed hæc & alia seriæ meditationi, & piæ fidelitati ac circumspectæ prudentiæ piorum ministrorum committo, qui, quid neceßitas sui auditorij requirat, in timore Domini prudenter & sollicitè singuli considerabunt.

Tertium Membrum.

Hoc præter consolationem, etiam causam tantæ seueritatis diuinæ repetendo illustrat.

Consolatio hæc est: Et etiam in diebus ipsis non faciam vobiscum consummationem, *hoc est, Non tamen planè delebo, non finaliter excin-*

excindam vos: Sed memor meæ misericordiæ & vestræ fragilitatis castigabo vos tantum, idq; eo fine, vt vobis vera pœnitentia ad me conuersis benefacere rursus vosq; suo tempore in patriam reducere possim. Attende quæso, quisquis es, mi Christiane: Vide inquam, summum amorem, introspice paternum cor, intuere beneuolentissimum affectum æterni Dei, sic nos castigantis, vt non effundat in nos omnem suam iram, sed spe futuræ frugis paterne in nos animaduertat. Quid quæso ad agnitionem dilectionis & misericordiæ diuinæ euidentius? quid ad excitandam in animis nostris pœnitentiam seriam & filialem in hunc patrem amorem efficacius?

Causa seueritatis diuinæ his verbis indicatur. Et erit si dixeritis: propter quid facit Dominus Deus noster nobis omnia hæc? *Verba notatu dignissima: Semper enim fit, vt fingant homines, nescire se causam tantorum malorum imo se immerito pati pleriq; quiritentur:* Quare? *Ob quam causam,* Dominus Deus noster, *qui tot promissionibus beneuolum suum in nos animum semper declarauit,* facit hæc omnia? *tam atroces immittit pœnas* nobis *qui peculium, qui filij, qui gens sancta eius? Cur adeò in nos sæuit? Quid peccauimus? Quid fecimus? Quid commeruimus? cur ita præ ceteris vexamur? possunt hæc neruosè & patheticè illustrari.*

Sed

Sed audi responsionem: dices ad eos: *Tu Propheta, tu minister & praeco Euangelij meis verbis hanc quaestionem dilues, & ad agnitionem verissimae causae eos deduces. Est enim ministri Euangelici inprimis abducere mentes à persuasione innocentiae in calamitatibus, & de corruptione humana eos serio commonefacere.*

Hanc ergo esse tantorum malorum originem significabis: Sicut dereliquistis vos me, & seruijstis dijs alienis in terra vestra: Sic seruietis alienis in terra non vestra. *Causa harum calamitatum est: I. Derelinquere Deum quod fit contemnendo verbum, & viuendo contra legem eius. II. Servire Dijs alienis, quo non tantum intelligitur externa illa idololatria, sed interna maximè, cum vel nos ipsos, vel quaecunque nostra, vel alios homines aliaue humana, honores, opes, gratiam &c. loco Dei habemus, magnifacimus, diligimus, metuimus, adoramus, quaerimus, in haec sola intenti, seposito vero Deo, eiusque & verbo & voluntate, quo scelere prô dolor hodie nihil in omni hominum statu vulgarius. Quid igitur mirum est immitti in nos iram Dei, & varijs nos miserijs conflictari?*

Inprimis vero hoc loco vrgeatur illa Antithesis, & exquisitissima divinae talionis iustitia, qua punit nos Deus modo eodem, quo

peccauimus, talisq; in nos est quales nos in ipsum. Vos inquit dereliquistis me, quid mirum & me derelinquere vos? Vos seruijstis Dijs alienis in terra vestra: Sic seruietis alienis in terra non vestra. Iustum hoc Dei iudicium in similibus antithesibus & iustissimæ talionis exemplis proponatur, & nullam nobis fieri iniuriam probè inculcetur.

Ante lectionem Epistolæ in sacris hoc die pronuncietur collecta.

Wy hebben gesündiget mit vnsen vedern/ Wy hebben Mißgehandelt vnd syn Godtloß gewesen.

O Rechtuerdige/ stercke vnde yuerige Godt / wy bekennen dy van herten vnse grote Sünde/vndöget vnd vorderff/ dath wy nicht werdich syn dine Kinder edder Volck genömet tho werden / Dewyle wy dy alle samptlick vorachtet/ dyn Hillige Wordt vorspottet / seker vnde Godtloß gewesen/ de gedröuwede stra-

de straffe nicht gefrüchtet / noch tho Herten genamen / sondern in Windt geslagen / Ja wol dine Gesandten belachet vnd ere Predige vorspottet hebben / darümme du billich dinen rechtuerdigen Torn auer vns vth thogeten bewagen werst / vns vnde alle dat vnse tho plagen vnde tho vordelgen / Erwecke vns o HEre erwecke vns / vth dem depen slape der sekerheit / dat wy vns van solcker vndöget van Herten tho dy bekeren / dinen Torn erkennen / dine Dröuwinge hoch achten / vnde dorch dine Vederlike tüchtinge tho warer Bothe gebracht werden / vnde also van solckem öuel erlediget / diner Vederliken Güde hyr tydtlick vnd dort ewichlick geneten / Dorch JEsum Christum

stum dinen leuen Söne vnsen HEren / Amen.

Epistolæ loco more recepto legatur textus pro concione explicandus.

Euangelij vice sit Parabola: Math. 21. Homo erat paterfamilias qui plantauit vineam, &c. ad verba: reddent ei fructum temporibus suis.

Preces finita concione post Litaniam singulis diebus his dicendæ:

Rope my an sprickt de HEre in der tyde der noth/
So wil ick dy erredden vnd du schalt my prysen.
De HEre js na allen de en anropen/
Allen de en mit ernst anropen.
Gnedich vnd Barmhertich js de Here/
Gedüldich vnd van groter Güde.

BArmhertige/ getrüwe/ Allerleueste Hemmelsche Vader / dewyle du vns in aller jegenwardigen vnde vörstånden noth dy anthoropen beualen / ock vns vmb dines leuen Söns Jesu

 Chri-

Christi willen erhőringe thoge-
secht hefft: Wy bekennen dy vnse
veeluoldige dachlike Sünde/dar-
mit wy dinen rechtuerdigen torn
vnde allerley straffe tydtlick vnde
ewich vordarff gahr wol vorde-
net: Wy bidden őuerst allerleue-
ste Godt vnd Vader/du woldest
vmb JEsu CHristi willen vns
gnedich vnde Barmhertich syn/
den wolvordeneden Torn linde-
ren/vnd affwenden/vnd in dissen
sorchliken tyden vor allerley vn-
gelücke vnd vnheyl vns behőden.
Erholdt o HERE dine Hillige
Christlike Kercke / vnde dines
Wordes warheit / beschůtte vn-
sere gnedigste vnde gnedige Aue-
richeit / sampt eren Hochwysen
Reden / trůwen Denern / vnde
gehorsamen Vnderdanen / Se-
gene

gene dat Huß Regimente vnde
Christlike Kindertucht/ Behöde
vns vor falscher Lehre/ Krych/
Pestilentz/ Hunger/ Dürertydt/
Füres vnde Waters noth/ vnde
allen wol vordeneden plagen: In
dine Vederlike beschüttinge beue-
len wy vns samptlick van herten
an Lyff vnde Seele/ Gude vnde
Ehren/ vnde allem wat du vns
gnedichlick hefffst gegeuen. Sy
gnedich o Here/ sy gnedich/ Lath
o HEre dyn Angesichte rycklick
auer vns lüchten/ dat wy dine
Vederlike hülpe sehen/ vnd mer-
cken/ vnd diner gnedigen jegen-
wardicheit vns jümmer mögen
van Herten erfröuwen/ vnde dy
als vnsen Barmhertigen Godt
vnde Vader ewichlick lauen vnde
Prysen/ Dorch dinen einigen

Söne JEsum Christum vnsen HEren / Amen.

Psalmi ante & post Concionem vna cum Litania pro cuiuslibet loci ratione cantentur:

Ach Godt van Hemmel süh darin.
Waket vp gy Christen alle / sydt nüchtern alle thogelick.
Idt wolde vns Godt gnedich syn.

ij.

CONCIONIS SECVNDO DIE HABENDÆ Materia.

Ioel II.

Et etiam nunc dicit Dominus conuertimini ad me

In toto corde vestro: Et in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite cor vestrum, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum.

Quia clemens est & misericors, longanimis, multæq; misericordiæ & pœnitens super malum.

Quanta sint, auditores, quamq; atrocia peccata nostra: quanta item sit quamq; horrenda Dei ira, & quam graues nos maneant pœnæ hesterna concio ostendit: hodierna igitur

viam

viam monſtrabit qua ex tanta & peccatorum & pœnarum mole eluctari poßimus. Quocirca cui ſalus æterna & incolumitas corporalis verè cordi eſt, toto animo omniq; contentione huic conſilio recte percipiendo & opere complendo ſedulo operam dabit.

Primum Membrum.

Summa conſilij eſt: Conuertimini ad Dominum, hoc eſt, agite pœnitentiam.

Vt vero conſilium hoc altius penetret, attendendum eſt ad vtramq; particulam præfatoriam.

I. Et etiam nunc, *hoc eſt ſaltem nunc reſipiſcite. De horribili Dei vindicta, quam nemo ſuſtinere queat, heri audiuimus: Non tamen hæc ita accipienda ſunt, quaſi ſpes gratiæ nulla ſuperſit: Quin etiam nunc pœnitentiam agite, & auertetur malum: Vide ergo & diſce, pœnitentiam nullam, vt dixit pia antiquitas, nimis ſeram eſſe, vera modo ſit & ſeria:* Etiam nunc *quando iam pro merito noſtro cladem non vulgarem contra nos Deus decreuit:* Etiam nunc *rebus noſtris quaſi in acie nouaculæ conſtitutis vera pœnitentia nos non fallet. Afferantur ſententiæ & exempla ſcripturæ hoc ipſum confirmantia: applicent ad ſe hanc conſolationem ſinguli & quiſq; pecca-*

tor se his verbis alloquatur : Et etiam nunc conuertere ad Dominum.

Rursus vero vt desperationi ita & securitati & procrastinationi humanæ occurrat hæc particula , & etiam nunc. *Nunc , nunc , nunc inquam : Hodie si vocem eius audieritis. Ne igitur differas , ò homo , conuerti ad Dominum , sed nunc , nunc , nunc , hoc ipso inquam articulo Domino obtempera. Quod si exemplo latronis nouisti te consolari , exemplum etiam latronis noueris imitari.*

2. Dicit Dominus. *His verbis auctor huius consilij indicatur , Dominus nimirum , Iehoua , optimus , sapientissimus , potentissimus , & solus Deus noster. Vnde patet summam nobis incumbere parendi necessitatem, cum à Domino nostro nobis id iniungatur : Vnde patet , certissimum & tutissimum hoc consilium esse , vtpote , profectum à Domino , cuius verbum veritas , & cum quo solo in negotio salutis nobis agendum , qui solus mala immittere & auertere potest , à quo solo peccatorum remissio & pœnarum mitigatio expectanda. Vnde patet , tuto nos illi fidere posse.*

Quid vero est conuerti ad Dominum? *Responsio ipsi quæstioni inest , nimirum , à peccatis , quæ à Deo nos abduxerunt , ad Deum mentem sanctissimam summumq; bonum , quod*

deserui-

deseruimus, redire. Vtrumq; serio inculcetur ex doctrina Ecclesiæ de pœnitentia.

Peccata agnoscenda, peccata detestanda, peccata relinquenda sunt. Ergo qui in superstitionibus, carnis desiderijs, alijsq; enormitatibus cum voluptate perseuerant, aut iis rursus se inuoluunt, pœnitentiam non agunt sed fingunt.

Redeundum ad Deum, vt illum apprehendamus, idq; per mediatorem Iesum Christum qui de se clamat: Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad patrem nisi per me: Huic scalæ innitere, ad Deum qui contendis. Huius merito te nisi incluseris, eiusq; fiducia accesseris, longius à patre recesseris.

Hic latißimus de pœnitentia piè dicendi apertus est campus: Omnia vero ita instituantur vt verba textus maximè vrgeantur & accommodentur.

Secundum.

Hoc vero membrum vtilißimam continet doctrinam de modo salutaris conuersionis, & qualitate Christianæ pœnitentiæ, tum interna tum externa.

Conuertimini, *inquit*, ad me in toto corde vestro. *Vult pœnitentiam ex corde proficisci: Excluditur ergo hypocrisis, quæ ore tantum & labijs Deo appropinquat. Siquidem cordis*

mentio sincerum conuersionis, pietatis & cultus diuini studium requirit. Vt enim cor omnium cogitationum & actionum fons est, ita nisi id ad Dominum conuertatur, conuersio nulla vera est aut seria: Illi ergo verè ad Deum se conuertunt cor suum verè ad ipsum qui vertunt. Et quidem ait Dominus in toto corde ne existimemus licere nobis in vtramq; partem claudicare, vt partim quidem Deo seruiamus, partim vero Deo neglecto carni & mundo obsequamur. Ideo in lege dicitur & à Christo repetitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, anima, mente, viribus.

Quia vero carnis nostræ desidiosa fragilitas externis etiam opus habet adiumentis & calcaribus, addit: in ieiunio: quo non superstitiosam à certis cibis abstinentiam intelligit, sed disciplinam, qua dometur carnis ferocia & libido, quæ ad omnia ea quæ veterem hominem ferociorem reddunt, siue ea cibus sint, siue potus, siue vestitus, siue alia quæcunq; se extendit. Subtrahenda enim sunt si verè pœnitere velimus carnis fomenta, quæ libidinis & superbiæ & contumaciæ aliorumq; vitiorum pabulum sunt.

Requirit etiam fletum & planctum, hoc est, verum ob peccata commissa dolorem, cum petitione veniæ: hic fletus & planctus intus in corde est, cum verè displicet nobis omnibus

modis

modis peccatum perpetratum atq; ob id serio angimur: Sunt & fletus & planctus signa externa toto corde ad Deum conuersorum, quam externam pœnitentiæ professionem nobis non esse dedecori existimemus. Flent & plangunt ob peccata sua Dauid, Petrus, Maria Magdalena & alij: Quorum exemplum libenter sequamur, tum vt Dei iustitiam testemur, dum nos Deum offendisse & pœnas meruisse hoc modo fatemur: tum vt alijs etiam serio pœnitendi autores existamus.

Rursus ne quis in externis his signis & quibuscunq; lachrimis conuersionis formam consistere sibi persuadeat, repetit caput negotij reiq; cardinem: Scindite cor vestrum & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum. *Vbi rursus Hypocrisin abominatur & sinceram minimeq; fictam & pictam emendationem exposcit. Erat orientalibus in more positum, vt si quid triste, si quid abominabile, si quid intolerabile accidisset, vestes præ mœrore, perturbatione & abominatione scinderent. Verum quia hæc externa etiam ab Hypocritis qui tamen interim nec verè dolent de peccatis nec serio ad Deum conuertuntur, nec vitam moresq; suos corrigunt fieri possunt: Vult Propheta cordis fieri scissionem: eamq; non ferro aut manib. sed ingenti dolore ex agnitione impietatis orto. Vult corda ad dominum*

conuer-

conuerti implorata eius misericordia ob filium Mediatorem in quo solo pater nos acceptat.

Tertium Membrum.

Promißio est de summa Dei benignitate, qua certi reddimur pœnitentiam eiusmodi seriam non infrugiferam fore.

Illam Propheta ijsdem verbis depingit, quibus ipse Deus in Exodo se describit. Nos, si quid in nobis est attentionis, huius descriptionis considerationi id impendamus.

Appellat primò Deum clementem seu propitium. Est enim Deus verè gratiosus seu gratia plenus, & amicum & beneficum in nos animum gerit, natura ad benefaciendum potius quam ad puniendum procliuis. Malimus ergo clementiam tam benigni patris quam asperitatem eiusdem experiri.

Secundo misericordem qui ex intimis pectoris penetralibus paterno amore nos complectitur, vt pater ille qui obuiam it filio prodigo redeunti, & obuiis vlnis illum amplectitur. Tribuit hæc vox Deo viscera miserationum hoc est naturalem & amicißimam amicißimi patris storgen.

Tertio longanimem seu longum ad iram, qui memor nostræ infirmitatis, nec facile contra nos irritatur, nec subito iram suam effundit,

dit, sed diu cunctatur & emendationem expectat. Videamus ergo ne causam ipsi præbeamus, vt tarditatem pœnæ supplicij grauitate & atrocitate compenset.

Quarto ait eum esse multæ bonitatis seu misericordiæ: vt qui totus in hoc est, quo nobis benefaciat, fons nimirum & inexhausta omnis boni scaturigo, effundens quotidie omnis generis bona spiritualia & corporalia.

Quinto pænitet eum mali. Etiamsi enim peccatis offensus magnum aliquod malum hominibus inferre constituit, imo iam cœpit: tamen cum pœnitentiam agunt, sententiam pœnæ iam pronunciatam reuocat, si emendatos videat eos, in quos illam decreuit, quemadmodum hoc explicatur cap. 18. Ezech.

Hæc Epitheta benignissimi Dei probè inculcentur nostris auditoribus & similibus sententijs & exemplis scripturæ illustrentur, vt veræ fidei, filialis amoris, & conuersionis promptissimæ stimuli relinquantur.

Collecta ante lectionem Epistolæ.

HEre handele nicht mit vns na vnsen Sünden.

Vnd vorgelde vns nicht na vnser Missedådt.

O ge-

O Getrûwe Godt / Hemmelsche Vader / wy dancken dy vor dine Vederlike erinneringe / dardorch du vns den wech wysest / dinem Torne tho entflegen / vnde van allem ôuel Lyues vnd der Selen erreddet tho werden / Nômliken so wy dorch ware Bothe tho dy / van deme wy dorch vnse veelfoldige sünde affgeweken / vns bekeren: Help O HEre Hemmelsche Vader / dat wy vns na dinē beuehl van gantzem Herten / ane Hûchelye tho dy wenden / mit fasten / mit weynen / mit klagen / vnd dat wy vnse Herten vnd nicht vnse Kleder thoryten / vnde also in stediger ernster Bote dachlick vortfaren: Wy vorlaten vns op dine gnedige Vederlike thosage / dath du gne-

gnedich / Barmhertich / gedůldich / vnde van groter gůde syst / vnd dy balde der straffe gerůwe: Gyff o getrůwer Godt / dat wy solcker diner gnade / Barmhertichеit / geduldt vnde groter Gůde recht gebruken / vnd dersuluigen mit Kindtliker demoth rechtschapener Bote vnd hertlikem gehorsam bejegenen / darmit ock dy der straffe / de du auer vns beslaten / gnedichlick gerůwen möge / vmme JEsu Christi vnses HEren vnde Heylandes willen / Amen.

Epistola Ioel. 2.

Euangelium Luc. 13. ab initio capitis ad verba: Sin autem, in futurum succides eam.

Post

Post Litaniam repetantur preces supra posita.

Barmhertige/etc.

Cantentur hoc die Psalmi:

Uth deper noth schrye ick tho dy.
Erbarm dy miner O HEre Godt.
Godt de Vader wahn vns by.

LECTIO TERTII DIEI.

Matth. 3.

Dixit Iohannes: Facite fructus dignos pœnitentiæ.

Et ne dicite intra vos: patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

Iam vero & securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem conijcitur.

Docuit nos hesterno die Propheta Ioel de vera pœnitentia & salutari ad Deum conuersione, quo tanquam remedio indubitato & certißimo pœnas nudiustertius nobis propositas effugere liceat: Hodie Iohannem Baptistam summum in Ecclesia doctorem de salutaris pœnitentiæ fructibus genuinis concionantem studiosè obseruemus.

Primum

Primum Membrum.

Docebat Baptista veram salutis viam: Requirebat seriam corruptionis humanæ & transgreßionum agnitionem: baptizabat in remißionem peccatorum: subijcit his concionem de noua obedientia. Ferte *inquit* fructus, qui resipiscentiam seu pœnitentiam deceat. *Neq; enim satis est rectè cœpisse pietatis cursum, sed proferendi etiam fructus sunt pœnitentia & nomine Christiano digni, quod ni fiat peior redditur hominis conditio. Illustretur hoc verbis Christi ad hominem ex triginta annorum infirmitate restitutum, Ioh. 5. Et ad adulteram Ioh. 8. Et concione eiusdem Luc. 11. Et Petri 2. Epist. 2.*

Reprehendantur hic & seuerè arguantur illi, qui horum pœnitentiæ fructuum planè sunt immemores, & licet accessuri ad cœnam Domini & alias piè commonefacti vitæ emendationem promittunt: nihil tamen minus præstant.

Hoc itaq; loco fusius ex scriptura vtrumq; tractetur:

Tum qui sint hi fructus pœnitentiæ nimirum, conformitas seu obedientia interna & externa, iuxta legem Dei: quam non incommodè quatuor his partibus absolui dixerimus: pietate erga Deum, caritate erga homines, sanctimonia & puritate vitæ, & diligentia in officio.

Tum quibus causis ad illos edendos excitari debeant conuersi, inprimis: necessitate, dignitate & praemio, consideratis simul finibus.

Secundum Membrum.

Occupatio est, qua amolitur Baptista, quod gentem suam reddebat securam & ad poenitentiam segniorem. Videbat generis fiduciam maximè remorari Iudaeos, quo minus resipiscerent. Gloriabantur se Abrahami filios esse ad quos salutis foedus propriè pertineret. Et erat is morbus sane vetus. Quoties enim Prophetae ante Iohannem aut poenitendum aut pereundum docebant, responsabant isti se peculiarem esse Dei populum, semen Abrahae, cum quo Deus foedus sempiternum percusserit: fore eius semen aeternum: reiectis igitur aut perditis Iudaeis neq; Dei veritatem neq; Ecclesiam consistere posse. Idem praedicationi Iohannis opponebant. Baptista itaq; hanc securitatem & praesumptionem confutans opponit: Et ne dicite intra vos patrem habemus Abraham, quasi dicat, nolite vobis persuadere, ideo vestra fore impunita peccata, quia filij Abrahae estis. Verum cogitabitis Abrahamum quidem sanctissimum fuisse patriarcham, Deoq; acceptissimum: Sed potest etiam piorum maiorum soboles esse impia. Vt itaq; Deus Abrahamum pium dilexit, & in promissionibus Abrahae datis seruandis verax

est:

eſt: ita idem iuſtus impietatis vltor eſt, qui impiam pÿ patriarchæ ſobolem non ſinet impunitam.

Neq; cogitabitis Deum nullos Abrahæ filios habiturum, niſi vobis ſolis & quidem impÿs ſuperſtitibus. Minimè enim ad vos adſtricta eſt promiſsio Dei, neq; periclitabitur eius veritas, etiamſi vos vt digni eſtis malè pereatis, Dico enim vobis quoniam poteſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Qui enim olim ex ſterili Sara & effæto Abrahami corpore ſobolem innumerabilem Abrahæ extruxit: poterit idem etiam nunc, ſi opus ſit, vel ex lapidibus iſtis, quos cernitis ante vos ſtratos, germanos Abrahæ filios educere, vt non ſit neceſſe interire germanum Abrahami ſemen etiamſi vos impÿ Abrahæ poſteri intereatis.

Quid vero hæc ad nos? Permultum auditores. Doctrina enim hæc eſt vt cum maximè neceſſaria: ne fiducia qualicunq; humana immunitatem ab æternis & corporalibus pœnis, vel minimam concipiamus, aut nobis imaginemur. Sunt omnino adhuc hodie pleriq; homines pertinacibus Iudæis haud diſsimiles, obtendentes multa, & confidentes varÿs præſidÿs quibus ſe pœnas diuinas effugere poſſe ſomniant. Sunt qui generis prærogatiua, & maiorum virtute ac excellentia glorientur: Sunt

qui, quod ordinis sint Ecclesiastici, seu spirituales, vt vocant, se tutos fore cogitent: Sunt qui magnis animi ac corporis donis innitantur. Sunt qui amicis, qui cognatis, qui patronis superbiant: Sunt qui mundanæ potentiæ, opibus, honoribus, gratiæ aliisq; rebus fidant.

Hi ipsi & quicunq; sunt alii, putent sibi responsum verbis Ioannis: Et ne dicite intra vos &c. Nihil enim est, nihil inquam est, quod eripere nos possit ab ira Dei, nisi vera pœnitentia ad ipsum conuertamur: eamq; fructibus solidè testemur.

Tertium Membrum.

Hoc grauissimam pœnæ iam imminentis comminationem subiicit: Quo tanquam ariete admoto impellere animos ad pœnitentiam Baptista conatur. Ostendit enim præsentissimum extremumq; exitium animæ & corporis omnibus impœnitentibus iam paratum. Loquitur autem non de Iudæa tantum gente sed & toto genere humano & sic etiam de nobis: Sumta similitudine à re rustica. Agricolæ, quam diu spes est alicuius frugis, stercoratione & putatione subueniunt vitiis arborum. At quando eas prorsus esse inutiles & steriles comperiuntur, excindere eas solent, ne terram frustra occupent, aliisq; noceant: ita Deus homines,

nes, nullos pœnitentiæ fructus edentes corporaliter punire & æternum perdere constituit.

Notetur autem & fideliter ac cum affectu inculcetur, quæ in singulis propemodum vocibus Emphasis est. 1

Securim *nominat, non virgam aut baculum, vt grauissimam Dei iram & summum periculum notet.* 2

Et hanc ait positam *esse, ostendens iam iam venisse vindictæ tempus, ne, quod fieri plerunq; solet, pœnas procul procul adhuc abesse imaginemur.* 3

Deinde hanc securim ait imminere non summitati, non ramis, non trunco, aut parti alicui arboris minus principali, sed ipsi radici, *vt extremam Panolethrian & internecionem certo tandem affore ostendat.*

Ne vero quis exemtum se, aut exemtum ullum hominem putet vtitur vniuersali. Omnis igitur arbor &c. 4

Iam quia externa specie & simulatione hypocritica fallere se Deum posse multi impiè statuunt, bonos fructus *Baptista requirit ne quis folijs hoc est, operibus superstitiosis & hypocriticis Deum contentum fore opinetur.* 5

Tandem in ignem abijciendos *impios dicit, quo non tantum huius vitæ pœnæ variæ, sed æternæ inprimis damnationis supplicium significatur.*

Expli-

Explicentur ordine singula & ad nostros auditores applicentur : prolatis dictis & exemplis huc facientibus. Inter alia vero non omittatur Ecclesiarum orientalium & Græcarum mentio. Has enim omnes, inter quas olim Apostolorum voces sonuerunt, & clarißima Ecclesiæ lumina fulserunt, diræ Mahumeticorum Tyrannidi subesse iam cum dolore cernimus. Et quid nos sperare debeamus, ex infelicißimo statu hodierno & præludijs tristißimis quis non videt? Ardet certè, ardet, ardet, inquam, diuinæ vindictæ ignis : extendit brachium Deus, librat securim suam, iam iam radicibus imminet, ictum minitatur : Agamus ergo pœnitentiam, proferamus dignos pietatis fructus, æternum patrem fiducia filij mediatoris pro mitigatione pœnarum ardenter inuocantes.

Precatio ante Epistolam.

Godt sy vns gnedich na diner Güde.
Vnd verdelge vnse sünde na diner groten Barmhertichheit.

O Güdige GODt Hemmelsche Vader / dewyle du einen nyen gehorsam vnd rechtschapene fruchte der Bote / so ernstlich vnd twar billick van vns för-

förderst : Wy ouerst solckes dorch vnse
egen vormögen tholeisten veel tho vndüch-
tich vnd swack syn : So bidden wy dy aller
leueste Vader / du woldest dorch dinen hil-
ligen Geist vnse Herten erwecken vnd er-
lüchten / dat se fruchtbare Böme syn / vnd
wy dy in Hillicheit vnde Gerechticheit
ewichlick denen mögen : Help jo dat wy
vns vp kein dinck / jdt sy geschlecht edder
fründe / stercke edder gewalt / Geldt edder
Gudt / Ehr edder gunst / egene framicheit
edder vormente Gerechticheit / edder wo
jdt mach Namen hebben / vorlaten: Son-
der allein vns diner Güde in warer Bote
vnde bekeringe trösten : darmit wy jo ni-
cht als vnfruchtbare Böme dorch dinen
Torn affgehouwen vnde inth Für des
tydtliken vorderues vnd der ewigen vor-
dömenisse geworpen / sondern als frucht-
bare Böme thom ewigen Leuende erhol-
den werden / vnd darsuluest vor dy in vn-
uthsprecklike r Ehre vnd ewiger herlicheit
grönen vnd blöyen / vmme JEsu Christi
dines leuen Söns vnses HEren willen /
Amen.

Episto-

Epistola Math. 3.

Euangelium Luc. 15. Parab. de Oue & dragma perditis : incip. Ait ad illos Parabolam: fin. Ait autem\|: Homo &c.

Repetantur & hoc die post Litaniam preces superiores :

Barmhertige / etc.

Psalmi cantandi hi sint.

Vader vns im Hemmelryck.
O HEre Godt begnade my.
Allein thô dy HERR JEsu Christ.